

CORNELIUS VALERIUS LOVANIENSIS PRO/  
fessor.



**C**ornelius Vallerius natus est Ultraiecti apud Belgas, Annum à natiuitate Domini circiter millesimum quingentesimum uicesimum. Is studiorum gratia Louanium celebrem Germaniæ Academiã petijt, & in ea omni genere literarum plurimum profecit. In primis uerò linguarum cognitioni incubuit, atque magnum earum usum sibi comparauit. Itaque quum Petrus Nannius Latinæ linguæ professor uita functus esset, hic Cornelius successit, & magna laude optimos quosque authores exposuit. Scripsit præterea de arte Dialectica, & Rhetorica. Insuper de sphaera mundi, & alia huiusmodi. In ea professione sese etiamnum Louanij publicè & priuatim exercet, atque magnum sibi nomen conciliare assolet. Anonymos.